

1582

*Venera Reipublica excellens forma.*

nias, quæ aliquando hostiles impetus perpeffa, aut æquata solo, aut absumpta flammis, civium corpora vel in servitutem abstrahi, vel hostili mucrone confossa non inspexerit? Sed quamvis hæc tam vera sint, ut nulla invidorum, vel obtrectatorum malevolentia in dubium verti queant; nihilominus, quod per tot rerum humanarum casus jam mille ac ducentos annos liberi Veneti imperitent, illud in primis, secundum Deum, excellenti Reipublicæ formæ tribuendum existimo, ex qua ea instituta ac leges promanarunt, quibus firmissimis radicibus innixum imperium, inconcussum immotumque perseverat. Neque enim ei illapsa mala sunt, quibus perturbata atque eversa aliæ Respublicæ pessum tandem ivere. In illustri etenim, verum lugubri monumento positæ sunt Græcorum civitates, Romanoque Imperio æmula Carthago, quæ non tam hostili ferro, quam dissidentibus civium animis periire: Roma denique ipsa, quæ; ferocibus nationibus gentibusque perdomitis, post æquatum orbi terrarum Imperium fatiscens, suaque mole laborans, intestinis civium odiis ac factionibus divulsa concidit; ut interim quæ postea rebuspublicis non modo, sed monarchiis quoque acciderint, prætermittam. Ab hisce malis quod immunis Respublica Veneta fuerit, post Deum Optimum Maximum, mirabili eximioque regimini tribuendum putaverim; in quo ita electioni fors admixta est, ut cum iter nemini ad Rempublicam capeffendam intercludatur, tum virtuti maxime pateat; in quo libertas cum floreat, tamen effrenata libido ac licentia civium a legibus coerceatur; in quo demum cum æquo jure omnes ad magistratus nitantur, nulla tamen tutior ad eos obtinendos suffragatio, quam virtus charitasque in patriam habetur, quæ cum per omne Reipublicæ corpus permeet, cives indissolubili nexu conglutinat atque adstringit.

*Additionis ad Decemvirum collegium institutionis narratio.*

Neque vero quis hæc assentationis me gratia dicere, quam prorsus odi, sibi persuadeat; quid enim ab hac scribendi ratione magis abhorret? sed quia ita se rem habere ea patefaciunt, quæ hoc tempore contigerunt, in quo Quindecim virum, qui majoribus comitiis singulis annis ad Decemviros adscribebantur, magistratus desit. Iis, cum antea gravissimis in rebus a Decemviris vocati absque suffragii jure sententiam dice-